



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

404. De sancto Michaële. De felicitate Angelorum, & nostra propter eos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO ECCCLIV.

De S. Michaële.

*De felicitate Angelorum, & nostra
propter eos.*

Aspiciam cœlestes spiritus innumerabiles
eâ formâ, quâ est ipse Spiritus sanctus
visus in spiritu & igne. *Qui facis Angelos
tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem,*
Psalm. 103. Petam agnoscere felicitatem
eorum, & meam propter ipsos.

Cons. 1. Quomodo Deus pro conversa-
tione nostri det auxilia interna & externa,
ut in tantis periculis æternæ salutis consti-
tuti, conservemur contra omnes hostilitates
Sathanae, inter alia verò auxilia esse Angelos
Dei.

Cons. 2. Quomodo Angeli Dei ament bo-
num nostrum. 1. Quia Angelis suis **DEVS**
mandavit de te, qui cùm ament **DEVM**,
ament & nos. 2. Propter nos, quia opus illis
habemus auxiliaribus. 3. Propter se, ut im-
pleatur numerus Electorum. 4. Propter
dæmones, ne habeant hunc gustum in de-
prædatione nostri. 5. Nisi nos custodiant,
nomen Angeli perdunt, quod est nomen
officij, non naturæ.

Cons. 3. Beneficia Angelis collata à **DEO**.
1. Quòd eos fecerit natura immortales, in-
corrupti-

corruptibiles. 2. Quòd eorum intellectum
 perfecit sapientiâ, quâ Deum quoad natu-
 ralia, aut honorem naturæ cognoscunt. Vo-
 luntatem virtutum rectitudine, qua nihil
 mali admiserunt, potentiâ robustissima, qua
 ad nutum cœlos, & omnia corporalia mo-
 vent motu citissimo, quo se in niçtu oculi,
 ubi volunt, constituunt. 3. Quòd hanc na-
 turam gratia exornaverit, ab omni culpa
 exemerit, Fide, Spe, Charitate, & omnibus
 supernaturalibus virtutibus expoliverit, me-
 ritis virtutum expleverit, brevi duratione
 aptos ad beatitudinem effecerit. 4. Quòd
 gratiam juxta perfectionem naturæ, glo-
 riam juxta mensuram gratiæ & meritorum
 impertiverit, in cœlo collocaverit, absque
 experimento miseræ ad beatitudinem ex-
 tulerit. 5. Quòd eos innumerabiles fecerit,
 summòque ordine in tres Hierarchias dis-
 tinxerit, summa pace foederaverit. 6. Quòd
 quosdam sibi assistere fecerit, alios ministra-
 re, alios inferiorem mundum gubernare, a-
 lios homines custodire. 7. Quòd meum An-
 gelum custodem omnibus his donis exorna-
 verit, & ejus ministerio suæ misericordiæ di-
 vitias in me effuderit, & mihi ad sanctissimâ
 Eucharistiam accedenti comes est, cum in-
 numerabili multitudine Angelorum, qui
 velut atomi circa solem suam circumvo-
 litant.